



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1863**

CX. Vergleich zwischen dem Lorenz-Kloster in Neustadt-Magdeburg und  
dem Pfarrer in Belutz, vom 13. April 1409.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CX. Vergleich zwischen dem Lorenz-Kloster in Neustadt-Magdeburg und dem Pfarrer in Belitz,  
vom 13. April 1409.

In nomine domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo nono, in-  
dictione secunda, tredecima die mensis aprilis, hora vesperorum uel quasi, pontificatu sanctissimi in  
christo patris et domini nostri, domini Gregorii diuina prouidencia pape duodecimi anno tercio  
eius. In monasterio siue claustro sancti laurencii in noua ciuitate magdeburg In commodo siue  
habitatione abbatisse eiusdem claustri In mei notarii publici infra scripti testiumque presencia sub-  
scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum constitute personaliter dilecte in christo filie  
Adelheydis, abbatissa, Katerina, priorissa, totusque conuentus monasterii sancti laurencii noue  
ciuitatis magdeburg Cisterciensis ordinis parte ex vna et honorabilis vir dominus Stephanus,  
rector parrochialis ecclesie in belitz, brand. diocesis, parte ex altera, tractantes de pensione annua  
ipsis danda per plebanum in belitz, que se extendit ad IIII<sup>or</sup> sexagenas grossorum bohemicorum  
bonorum currentis monete. Quam eciam antecessores sui, qui pro tempore fuerunt plebani, solu-  
erunt et soluere consueuerunt tanto tempore, quod eius contrarium in memoria hominum non existit  
et e contra dominus Stephanus, plebanus, allegans paupertatem suam dicens se (non) posse soluere  
IIII<sup>or</sup> sexagenas, reddens rationem illam, quod habitacio ipsius ecclesie totaliter esset inclinata ad  
casum et eciam funditus caderet, si non celeriter remediaretur, petens ab ipsis abbatissa et conuentu,  
ut mediam partem pensionis reciperent, ipse uellet meliorare habitacionem et dotem ipsius ecclesie  
saltem ad tempus. Hiis auditis abbatissa et conuentus mediam partem pensionis ad octo annos re-  
sponderunt se uelle condescendere ei, si et in quantum in euidentem utilitatem ipsius domus habita-  
cionis conuenteret, quod Stephanus promisit, se uelle facere bona fide, dolo et fraude remotis Ita,  
quod modo post instans festum proximum futurum beate walburgis Anno tranfacto deberet soluere  
duas sexagenas et sic annuatim vsque ad octo annos, hiis finitis antiquam pensionem ipsis et eorum  
successoribus, qui pro tempore esset, soluere deberet, prout consuetum fuit et est. Super quibus  
omnibus et singulis me notarium publicum requisierunt, ut ipsis super premissis conficerem vnum  
uel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hec Anno domini, In-  
dictione, die, mense, horis, loco et pontificatu, quibus supra, presentibus ibidem Circumspectis et  
diferetis uiris et dominis ludero seroder, preposito eiusdem monasterii, henningho peper-  
korn et hinrico scherf, presbiteris et clericis magdeburgensis diocesis testibus ad premissa.

Et ego iohannes caldenborne, clericus brandenburgensis diocesis, publicus sacra im-  
periali auctoritate notarius etc.

Originalbuch des Lorenz-Klosters in Neustadt-Magdeburg f. 71—72 im Königl. Prov.-Archiv zu Magdeburg.